Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.

Wien, 1793 Seite 1061

Quelle:
Copyright:

Capitum abeunt, quam adoptavit *Du Breulius*, et mira eſt lectionis varietas. Qua de cauſſa hic quoque *Codex* dignus eſt, ad quem futurus *Iſidori* ſoſpitator reſpiciat.

CCLXXXV.

77 nunc VI. B. 24.

Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 215. f. eleganter exaratus, bonaeque notae, pertinens olim, ut in fronte praefert, *ad ſanctam Mariam Kotwic.* i. e. Monaſterium Gottvicenſe O. S. B. Auſtriae infer. complectitur I. *S. Anſelmi* Archiep. Cantuarienſis *Libros II. Cur Deus Homo*, quos teſte *Eadmero* L. II. *Vitae Anſelmi* in Anglia coeptos in villa Schlavia Provinciae Capuanae anno 1098. abſolvit. *Praefationis* initium eſt: *Opus ſubditum quod propter quosdam* &c. *Praefationem* excipit *Elenchus capitum*, de quo ipſe Autor in Praef. *Hanc prefatiunculam cum capitulis totius operis omnes qui librum hunc tranſcribere uolunt ante eius principium ut prefigant poſtulo.* Gabr. *Gerberonius* in ultima *Opp. Anſelmi* editione *Pariſ.* 1721. f. *Elenchum* hunc per totum Opus, quod nobis indiviſum decurrit, diſtribuit. Poſt *Elenchum* ſequitur *Prologus Anſhelmi de Incarnatione Verbi* temere huc inſertus et a Gerberonio *edit. citat.* p. 41. loco ſuo reſtitutus. Ipſum tandem Opus ſic incipit: *Sepe et ſtudioſe a multis rogatus ſum* &c. Finit vero: *deo non nobis attribuere debemus qui eſt benedictus in ſecula. Amen. Explicit liber cur deus homo.*

II. et quidem a *Fol.* 26. *Explanatio Geneſeos Libris* III. conſtans, quorum quivis *Capitum Indicem* praemiſſum habet. Liber I. incipit: *Querentes multiplicia congerere ne ſtomachus legentium ſaturatus* &c. Finit: *Noſtri operis finiendus eſt Liber.* II. incipit: *Secunda namque Seculi aetas* &c. Finit: *tunc omnis Iſrahel ſaluus erit.* III. incipit: *Deus Summe Bonitatis a quo eſt Datum optimum* &c. Finit: *per quem factum eſt ut ingrederetur.* Explanatio haec olim perperam adtributa fuit alterutri *Eucheriorum Epp. Lugdunenſium*, de qua re vide *Caveum* T. I. *Sec.* V. p. 424. *Oudinum* T. I. *Sec. eod. col.* 1220. quorum rationibus novum pondus addit Codex noſter, qui in marginibus ſententias ab Hermeneuta noſtro non ſolum ex *Auguſtino* et *Hieronymo*, verum etiam ex *Iſidoro* et *Gregorio M.* utroque *Eucherio* junioribus depromtas notat. Legitur haec *Explanatio*, quae Anglum quendam, fortaſſis ipſum *Bedam*, compilatorem habere videtur, in *Bibliotheca PP. Lugdun.* T. VI. *col.* 868.

III. et quidem a *Fol.* 137. *Expoſitio ſuper librum Regum* in Libros IV. diſtincta, quorum quemvis *Capitum Index* praecedit. Initium I. *Regum tempora poſt Judices* &c. Finis: *ſed quid egerit pertinebit.* Initium II. *Promiſſiones enim Dei quę factę ſunt ad abraham* &c. Finis: *magiſterii*